

Heinrich Rudolph Redecker    Johann Christian Süstermann

**Disputatio Iuridica Inauguralis De Liquidatione, Quam ... Praeside Dn. Heinrico Rudolpho Redeker ... publicae censurae proponet Johan. Christianus Süstermann/ Hildesiensis ...**

Rostochii: Keil, 1644 [i.e. 1664]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735213615>

Druck    Freier  Zugang



Aufklärung

Ru jur. 1664

Heinrich Rudolf Redeker, Provis. /d

Johann Christian Hüstermann, Resp.

mit Vogt.



Q. D. B. V.  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
De  
**LIQUIDATIONE,**

*Quam*  
Decreto & Autoritate Magnifici,  
& Amplissimi JCrorum Ordinis in Illustri  
ad Varnum Academia.

*PRÆSIDE*  
**DN. HEINRICO RUDOLPHO**

*Rederer* / JCrto P.P. & hodie Collegii  
Juridici Decano, nec non Seren. Duc. Mechl.  
Consil. & Consistorii Ducalis  
Assessore,

Præceptore & Promotore suo æviternum  
venerando

*Pro*  
Obtinendis summis in utroq; jure honoribus  
& privilegiis Doctoralibus  
*publicæ censuræ*

*proponet*  
**JOHAN. CHRISTIANUS Güstermann**  
Hildesiensis.

In Auditorio Majori ad diem XV. Septembr. *promoviti*  
horis ante & pomeridianis. *Br. No. 1667*  
*1704*

**ROSTOCHII,**  
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1644.

VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Excellentissimis,  
& Experientissimis,*

**DN. HERMANNO**  
**Störren/**

JCto, & Electoris Coloniensis Consilia-  
rio & Consistoriali Dignissimo, Gravissimo,  
Fautori, & Cognato suo ætatem  
devenendo

*ut &*

**DNO. CONRADO Wibbenhorst/**  
JCto, Serenissimi & Illustrissimi Landgra-  
vii Hassiaci Consiliario intimo,

Fautori suo ad tumbam suspiciendo

*Has pagellas Inaugurales*

*dicat*

**AUTOR.**



I. N. J.  
Disputationis Inauguralis  
de  
**LIQUIDATIONE**

Thesis 1.



Um juris Antecessores per-  
lustrans, viderem, *Liquidi & Illiquidi*  
punctum, in actionibus humanis non  
parum illis facessere siquidem *liquidi*  
cum *illiquido* compensationem ad-  
mitti comuni suffragio pariter omnes  
negant Munnoz de Escobar. tr. de Rati-  
cin. Administ. cap. 21. num. 2. Borgnin.  
Cavalcan. de Tutor. & Curat. num. 215.  
Menoch. conf. 718. num. 6. Bertach. h. v.  
Matth. Wesenb. conf. 207. num. 81. &  
seqq. fulci l. fin. C. de Compensat. nec in causis *illiquidis* ante initam li-  
quidationem sententiam declaratoriam dandam decidit Seraph. Olivar.  
Razzal. decis. 113. num. fin. nec moram contrahi asseverant Pyrrhus Maur.  
Aretin. tr. de Fidejussor. parte 1. principali tertiae particulae. cap. 6. aliàs 15.  
num. 4. Munnoz. de Escob. d. cap. 21. num. 13. Andr. Gail. 2. Obs. 19. num. 8.  
Camill. Borell. tom. 2. decis. tit. 19. num. 18. Bechtold in thesaur. Jurispr. par-  
te 2. cap. 48. axiom. 5. Koppen decis. 34. num. 6. adeoque nec aestimatio-  
nis rationem haberi posse declarat Kohl exercitat. leg. 13. num. 59. nec  
debitorem de fuga suspectum, nisi debitum sit liquidum, capi posse.

A

pro-

propugnant Roderic. Suarez loco mox citando. Bald. conf. 118. num. 3. vol. 4. Gail. 2. Obs. 44. num. 5. & seqq. Colerus loco mox citando. Joh. Bapt. Cacialupus tr. de Debitore suspecto & fugitivo. quest. 6. num. 12. ubi tamen hoc ad certum casum restringit. Nec executionem etiam post rem judicatam decerni attestantur Bart. in l. 4. §. Si ex conventionem. num. 1. ff. de Re Jud. Gail. 1. Obs. 68. num. 6. adde Roderic. Suarez. Factum Hispanum in l. post rem judicatam. ff. de Re Jud. notab. 3. num. 13. Scacc. de Commercio. §. 1. quest. 7. p. arte 2. ampl. 8. num. 238. Colerus de Process. execut. parte 3. cap. 1. num. 2. nec instrumentum aliàs paratam executionem habens, quamdiu est illiquidum, executioni mandari posse, docent Rebuff. in ordinat. Regn. Gallie tomo 1. Rubr. de Lit. Obligat. art. 1. glossa 9. num. 7. & 8. Suarez d. loco in declaratione legis Regni vers. quarto limita. num. 1. Camill. Borell. d. loco. num. 5. Bartol. in l. proinde. 25. §. notandum. ff. ad Leg. Aquil. num. 3. faciunt textus in l. fin. verb. si causa liquida sit, & non multis ambagibus innodata. C. de Compensat. Authent. Et qui jurant. ibi: juxta mensuram declarati debiti. C. de Bon. autor. Jud. posses. nec arrestum decernendum, antequam creditor debitum faciat liquidum, definit Bened. Carpzov. parte 1. Const. 29. d. fin. 6. nec in concursu creditorum, nisi debito liquidato, definitive pronunciandum, præjudiciis confirmant Carpzov. parte 1. const. 28. in Jurisprud. for. defin. 1. & 2. & Richter de Jure Creditor. disput. 1. cap. 1. in princ. nec pro fructibus ante illorum liquidationem Mandatum manutentiaæ dari, adstruit Ludovic. Post. decif. 366. num. fin. & tr. de Poss. summar. obs. 107. num. 5. nec aliàs ante liquidationem propter crediti incertitudinem Mandatum manutentiaæ decerni posse, & si decernatur, nullum esse, defendunt Seraph. Olivar. Razzat. decif. 1168. num. 5. Postius decif. 331. num. 8. nec referre, per partem de illiquido oppositum fuerit, nec ne, semper enim liquidationem præcedere debere, decidit Camill. Borell. d. loco num. 3. & 5. Ideoq; ubi in præsentiarum more academico non nihil scribendam foret, operæ pretium duxi, ea, quæ Doctores de liquidatione sparsim tradunt, conquirere, & Eruditorum examini submittere. Hoc autem allaborans spero, unumquemq; si alicubi impegerim, veniam mihi daturum, maxime cum quod præfiscine testor, Autorem, qui de præsentem materia tractatum conscripsit, & publici juris fecit, videre mihi haud contigerit.

Thesis. 3.

### Thesis 2.

Antequam autem rem ipsam aggrediar, discursum nostrum certis limitibus circumscribam, ita ut (1) *Liquidationis* Etymologiam, (2) ejus descriptionem, (3) Objectum (4) quomodo, (5) quando, & intra quantum tempus, (6) cujus sumptibus facienda, & tandem (7) *Liquidationis* effectum exponam, eiq; quaestiones affines annectam.

### Thesis 3.

Vocabulū *Liquidationis*, licet apud Classicos Autores vix reperiatur, sufficit enim JCrī illam esse usu Scholæ & fori receptā, nō magis tamen vox hæc censenda est impropria, ac nova moneta, quia verba valent sicut nummi; grammatica derivatione deducitur ab adjectivo *liquidum*, quod aliis significationibus posthabitis, quas Lexicographi passim exhibent, pro claro, certo, manifesto, & aperto in jure sumitur, quod ipsum innunt *textus in l. 85. § 1. de A. H. l. 27. de lib. caus. l. 1. §. idem ff. de Sc. Silan. l. 4. de pen. leg. l. un. ibi: cum competentibus ad liquidum deducta ratione &c. C. si secundo mulier nups. facit l. 2. §. 8. ff. de Aqua & aqua plu. & dicitur liquidum in sensu juridico de quo constat, & liquet, quid, quale, quantumque sit, *arg. l. 74. & 78. ff. de V. O. Coler. de Processib. execut. p. 3 cap. 1. num. 4.* vel quod absq; morosa difficultate probari potest, *Pyrrhus Maur. Aretin. de Fidejussor. parte 1. sect. 3. in prælud. cap. 13. aliās cap. 22. num. 18.* vel quod quacunque exceptione opposita dubiū reddi nequit, *Klock de Contrib. cap. 20. num. 47. adde Wesenb. conf. 207. num. 81. & 82. Cavalcan. decis. 44. num. 67. parte 1. Rebuff. in const. Regn. tomo 1. Rubr. de Lit obligat. gloss. 9. num. 8. Menoch. cons. 858. num. 8.* hujus compositum est *illiquidum*, hoc quid sit, ex modo dictis patescit, siquidem contrariorum cognito uno, cognoscitur & alterum, *post Arist. & Cic. pr. J. de His, qui sui vel ali. jur. sunt. ubi Vinn. & D. D. communiter, pr. J. de tut.**

### Thesis 4.

Describi autem *liquidatio* potest, quod sit actus, quo mediante, illud, quod obscurum, & incertum est, fit certum, manifestum, & clarum, *Anton. Massa Galles. tr. ad Formulam Camer. Obligat. parte 1. pag. m. 318. num. 1.*

### THESIS 5.

Traditā jam etymologiā & descriptione *Liquidationis*, ductu θ. 2. enodabimus, Quid sit *Liquidandum*; Est autem illud omne

A 2

debitum

Def



debitum quod vel respectu juris in re, vel ad rem in iudicium potest deduci, vel de quacunque re potest esse actio, petitio aut persecutio arg. S. 2. J. quib. m. toll. obl. junge l. 10. u. 12. § 4. § 5. 213. ff. de V. S. imo etiam ratione personæ ejusve qualitatis potest fieri Liquidatio Tusch. concl. 359. Coler. de P. E. p. 1. c. 10. n. 329.

Thesis 6.

Jam sequitur præfato ordine quomodo illa fiat. Ubi sciendum, quod in processu Liquidationis, (in quo quomodo procedendum, docet Postius tr. de Possessor. summ. Obs. pen. num. 53. quæque exceptiones ibidem opponendæ, tradit Canar. de Execut. Instrum. quæst. 14.) novus libellus, & nova litis contestatio (opinione Socini Senensis contraria in cons. 51. Num. 7. vol. 1. haud obstante) non requirantur, sed summarie duntaxat procedatur, vid. Gail. 1. Obs. 68. num. 7. Camill. Borell. tom. 2. decis. tit. 19. num. 20. ubi citat Menoch. de Adipiscenda Poss. Remed. 5. num. 7. Ratio horum videtur esse, quod punctus Liquidationis non sit nova causa, sed accessorie veniat ad causam principalem, Quett. a consil. 89. num. 4. Afflic. decis. 35. num. 4. Klock Relat. 9. num. 197. In primis autem notandum, quod ad eam Partes citari debeant, l. de unoquoque ff. de Re Jud. Petr. Rebuff. in comment. ad const. Regni Gall. tome 1. rubr. de Lit. Obligat. glossa 9. num. 11. Bald. in l. si causam. vers. ex his apparet. C. de Execut. rei Jud. Post. decis. 92. num. 4. Suarez in d. l. postrem Judicatam. ff. de Re Jud. in declarat. Legis Regni limitat. 12. Portius lib. 1. commun. opin. concl. 43. ampliat. 97. omnia enim citatione nulliter procedi decidit Camill. Borell. d. loco, num. 17. alios ibidem allegans. Facta itaque citatione Liquidatio per omne probationis genus fieri potest, Bartol. in l. 3. C. de Sentent. quæ sine certa quant. profert. laudatus Rebuffo d. loco num. 11. Camill. Borell. Tom. 2. decis. tit. 19. num. 21. Sic liquidum inducunt Instrumenta publica, Testamenta, Confessio, Testes, Res Judicata, Jusjurandum, Acta publica, Matricula & Registrum Imperii, Regni, Reip. & Ecclesiæ, Libri Mercatorum, Libri Sociorum, Literæ Cambii, Privata Scriptura, Chirographum, & reliqua omnia, quæ faciunt rem legitime certam, Mindanus de Processib. extrab. lib. 2. cap. 59. §. 2. num. 8 Anton Massa Galles. tr. ad Formul. cam. Obligat. parte 3. incipit. Quinque potissimum. num. 4. pag. m. 319. ubi refert Bart. & Bald. idem sentientes.

Thesis 7.

Ut autem Instrumentum rem faciat liquidam, præter requisita  
per

per Glossam in l. generali. C. de Tabular. lib. 10. & Bart. in l. si quis ex ar-  
gentariis. §. initium. ff. de Edendo. proposita, exiguntur (1) certi contrahen-  
tes, utque illorum nomina in instrumento exprimentur, alia sine nomi-  
num expressione obligatio est vaga, inepta, & incerta, adeoq̄ incertū, va-  
gum, illiquidumque debitum, in innominatum autem nulla fieri potest  
executio, ne citando quidem, nedum condemnando, *Verba sunt Min-  
dani d. loco cap. 60. num. 1. & seqq.* Insuper agenti ex instrumento, in quo  
agentis nomen non reperitur, obstat exceptio: Tu non es ille, cujus  
mentionem facit *instrumentum*, vel: Tu non nominatus es in illo in-  
strumento, vide Dd. apud Gail. l. 1. Obs. 106. num. 1. (2) requiritur, ut  
producens *instrumentum* habeat legitimam personam standi in judi-  
cio. Hinc si alter contrahentium fuerit minor, pupillus, certo re-  
spectu filius fam. furiosus, prodigus, bannitus, excommunicatus,  
exceptione inhabilitatis personæ repellitur. *vid. Canar. rr. de Execut. in-  
strum. quest. 15.* Et hoc in tantum verum est, ut licet Statutum extet,  
disponens, quod contra *instrumentum* publicum non nisi solutionis  
exceptio opponi possit, nihilominus exceptioni inhabilitatis locus  
relinquatur, *Bart. in l. 1. §. & parvi refert. ff. Quod vi aut clam. num. 6.*  
ratio secundum *Bart. d. loco* est, quod ejusmodi exceptiones instru-  
mentum non respiciant, sed personam agentis repellere intendant.  
Quod si de personarum habilitate liquet, (3) necesse est, ut produ-  
cens *instrumentum* pro sua parte illud adimpleverit, non enim tene-  
tur quis ad observantiam contractus, quem ipse ex latere suo non  
adimplevit, l. 13. §. 8. ff. de Act. Empr. & vend. Bened. Carpzov. parte 2.  
*Jurispr. for. const. 44. defin. 12. prope finem. Zanger. de Except. parte 3.*  
*cap. 22. num. 1. adde Carpz. Respons. 2. lib. 2. num. 1. ad 3.* ubi plures ex-  
ceptiones, quæ instrumento opponi possunt, recenset. Nec refert, si  
actor asserat, Reum mediante juramento id, ad quod agit, promississe,  
cū juramentum contineat in se tacitam conditionem, si sc: actor pro  
sua parte adimpleverit, quā deficiente deficit jurantis consensus, post  
*Cravettam conf. 127. num. 6. Zanger d. loc. num. 3. & 4. Ant. Massa Galles*  
*d. rr. p. 2. ad quartam partem quest. 1. num. 7.* (4) requiritur, ne falsitatis labe  
instrumentū laboret, *Galles. de loc. num. 1. Rebass. comment. in const. reg. rubr.*  
*de lit. Obligat. ars. 1. gloss. 9. num. 15. & 16.* (5) cavendū est ut ab *instrumento*  
*simulatio* procul sit, *Bart. in l. 1. §. & parvi refert. ff. Quod vi aut clam. num. 4.*  
nam ex *instrumento* simulato illud observandū, quod verum, non quod  
falso conceptum est t. s. C. Plus valere quod agitur, quàm quod simul.

concep. adde *Canar. d. tr. quest. 13.* (6) necessarium est, ut instrumentum certam debiti quantitatem in se contineat, vid. *Mindan. d. tr. cap. 63.* quo & refertur, ne in *s. 33. Inst. de Act. & t. t. C. de Plus pet.* impingatur actor. (7) Requiritur, ut debiti & obligationis causa exprimat, *Carpzov. parte 1. const. 17. defin. 59. & alii ab hoc adducti*, alias indiscretum dicitur instrumentum, & indiscreta obligatio *l. 2. §. 3. ff. de Dol. exep. l. 25. §. 4. ff. de probat. l. 26. ff. de donat. c. si cautio de fid. Instrum. Dassel. l. 1. Conf. 18.* sine causa enim nulla obligatio, sine obligatione nulla oritur actio, & sine actione nemo efficaciter experitur, ceu *tit. ff. & C. de Pact. de Transact. de Obligat. & alii satis evincunt.* & hinc ob causam debiti deficientem conditiones sine causa, indebiti, ob causam &c. prodita sunt, quemadmodum illi liquet, qui Jurisprudentiam vel à limine salutavit, adde *Alex. conf. 4. num. 2. 6. & 7. vol. 1. Galles. d. tr. p. 2. ad quartam part. quest. 1. num. 12.* ubi hoc exemplis illustrat. Notandum tamen sufficere, si causa nonnunquam tacite exprimat, v. g. si hospes vel viator in instrumento confiteatur, se debere hospiti, ægrotus Medico, ulcerosus Chirurgo, cliens Advocato, &c. Etsi enim in his & similibus causa instrumento expresse inserta non sit, tamen tacite, utpote notoria inesse intelligitur, uti iudicatum refert *Papon. lib. 10. tit. de Payemens. num. 2.* (8) Necessè est, ut instrumentum sit omnibus numeris absolutum, nec in parte substantiali corruptum, vel abolitum, *Roderic. Suarez in d. l. post rem judicatam ff. de Re Jud. extensione 6. Galles. d. tr. p. 3. q. 1. num. 2. Alex. Trentacinquius var. resol. lib. 2. resol. 11. Rubr. de Fide instrumentor.* ubi de hoc requisito multa cumulat. Tandem 9. exigitur, ut instrumentum sit purum, non conditionale, *Socin. Sen. conf. 51. num. 7. vol. 1. Suarez in d. l. limitat. 5.* His requisitis si instrumentum destituatur, dicitur illiquidum, nullum, nec exequibile *per Ddres modò laudatos.* adde *Suarez. d. loco limitat. 4.* Vnde tamen *Bart. in l. si quis ex argentar. 6. §. si initium. in repetitione. num. 6.* ubi dicit, quod an instrumentum sit liquidum, vel illiquidum, nullum, vel efficax, & utrum sua habeat requisita, nec ne, stetur consuetudini locorum, quò instrumentum conditum. An autem ejusmodi nullitatibus renunciari possit, sub distinctione tradit *Alex. conf. 32. num. 5. & seqq. lib. 2.* adde *Galles. d. tr. 1. q. fin.* ubi docet, quomodo nullitas executionem impediatur. junge *Suarez. in d. l. post rem judicatam. ff. de Re Judic. in declarat. legis Regni. incip. Sed pro evidentiâ, pag. m. 552. & seqq.*

& seqq. ubi & de exceptionibus Instrumento opponi solitis agit.  
(10) non tantum causa subesse debet vera, sed etiam justa, puta ut quid  
debeat ex causa contractus approbati l. 3 r. pr. ff. de A. R. D.

Thesis 8.

Quemadmodum instrumentum, sic Testamentum, ut liquidum  
quid reddat, sua desiderat requisita, quorum primum est, ut sine omni  
vituperatione iusta appareat, nec sit cancellatum, nec aboliturum, nec  
ex quacumq; suæ formæ parte vitiatum, sed legitimo testium numero  
vallatum, legitimusq; contradictor absit, l. fin. & ibi Ddres. C. de Edi-  
cto Div. Hadr. tollendo. Secundum est, ut mors testatoris probetur, Ca-  
pyc. decis. 48. num. 1. Roderic. Suarez. d. loco. casu 4. & extensione 1. num.  
1. & 2. Alexand. Trentacinq. 2. Resol. 11. de Probat. num. 2. Menoch. de  
Adipisc. Posses Rem. 4. per tot. ubi plurimas quæstiones huc facientes ex-  
ponit. Tertium est, ut hereditatis aditus probetur, Gail. 2. Obs. 128.  
num. 1. & seqq. Camill. Borell. tom. 2. decis. tit. 19. num. 6.

Thesis 9.

Cæterum quomodo Confessio liquidum inducat docent r. r. ff. &  
C. & utrobiz Ddres cum Glossa de Confess. Alex. Trentacinq. var. Resol.  
lib. 2. Resol. 1. & 2. per tot. rubr. de Confess. Roderic. Suarez. in l. post rem  
judicatam. ff. de Re Jud. notab. 2. num. 6. & notab. 3. per tot. Bechhold. in  
Thesaur. Jurispr. lib. 3. cap. 44. axiom. 12. vol. 1. Ubi tamen oppidq; no-  
tandum, quod confessio, si in tertii præjudicium tendat, liquidum  
non inducat; Confessio enim confitenti non alteri nocere debet,  
post Paulum de Castro Trentacinquius. 2. Resol. 2. num. 8. Rubr. de Confess.  
Sic confessio debitoris, si de creditorum prioritate agatur, ad liqui-  
dandum debitum non sufficit, ceu præjudicio confirmat Richter de Ju-  
re Creditor. Dissut. 1. pag. 4. & 5. adde in terminis Mascard. de Probat.  
concl. 372. per tot. & ibi Nigr. Quomodo autem per testes illiquidum  
reddatur liquidum, traditur r. r. ff. & C. & utrobique Ddres cum Glossa de  
Testib. per tot. Trentacinquius. 2. Resol. 1. & seqq. de Testib. Quomodo res  
Judicata, vide r. r. ff. de Re Jud. & ibi Ddres. Suarez. d. loco notab. 1. Quo-  
modo Juramentum, evolve r. r. ff. de Jurejur. & C. eod. Suarez. d. loco  
notab. 2. Quomodo Acta publica, consule Mindan. de Process. extrab.  
lib. 2. cap. 66. Quomodo Matricula & Regaltrum Imperii, Regni.  
Reip. & Ecclesia liquidum in ducant, patili ratione demonstrat Mindan.  
d. loco cap. 67. adde Nicol. de Passer. de Privata Scriptura lib. 5. per tot.  
Ur,

Ut autem Matriculæ & Regesta autoritatem obrineat, & liquidum inducant, non sufficit, ut propria annotatione quis sibi debitorem scribat, sed necesse est, ut cōmuni Reip. Regni, vel Ecclesiæ consensu vel statuto, vel consuetudine, vel publica & solenni fide sint vallata & comprobata, per argum. à contr. sensu in l. fin. C. de Conveniend. Fiscī debitor. lib. 10. Nic. de Passer. d. lib. 5. tit. de Registro. Schurff. cons. 90. num. 9. cent. 2.

#### Thesis 10.

Porro videndum quomodo per libros Mercatorum liquidatio fiat. Ubi notandum, quod licet libri Mercatorum sint privata scriptura, *Marca Neap. in ff. noviss. tom. 1. rubr. liber cap. 9. Gail. 2. Obs. 20. num. 1.* quæ ad probationem sola pro scribente non sufficit, l. 5. & 6. C. de Probat. cū exemplo perniciosum sit, ut ei scripturæ credatur, quā unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit, l. 7. C. d. t. l. fin. C. de Conveniend. Fiscī deb. lib. 10. hinc contra libros Mercatorum conclusionem in illorum favorem liquidum non inducentem militare, nec hanc ratione destitui dicendum foret, siquidem scripturæ mercatoris non plus, quàm vivæ voci ejusdem credi debet, sed si mercator viva voce pro se deponeret, nihil ei crederetur, Ergo. *Trentacinquius, 2. Resol. 7. num. 12. vers. secundus casus rubr. de Probat.* Verum enim verò his non remorantibus contrarium consuetudine apud omnes fermè receptum est, ut æquè pro mercatoribus, atque contra illos libri mercatorum probent, testibus *Nicol. de Passeri. tr. de Privata scriptura. lib. 4. rubr. de lib. Mercat. num. 12. & 13. ubi plures cumulat. Benvenutus Stracha tr. de Mercat. per tot. hinc scripturam Mercatorum pro sententia haberi respondet Baldus cons. 348. num. 4. vol. 1. eamque de consuetudine vim publici instrumenti obtinere propugnat sigism. Scaccia de Commerc. & Cambio §. 7. gl. 5. num. 6. Baldus cons. 198. num. 3. vol. 1.* Et hanc consuetudinem Bononiæ & Florentiæ vigere affirmat *Paulus de Castro in l. admonendi. ff. de Jurejur. num. 43.* Idem de aliis locis attestantur *Doctores mox citandi*: quam tamen consuetudinem singulariter limitant *Bernh. Grey. Concl. 20. lib. 2. num. 4. Nic. de Passer. d. loco. num. 24. Fulv. Pacian. de Probat. lib. 1. cap. 63. num. 28. Giken in l. instrumenta C. de Probat. num. 38. Joach. à Beust in l. admonendi ff. de Jurejur. num. 1022. Trentacinquius. 2. Resol. 7. num. 24. & seqq. rubr. de Testib. nec ultra admittunt, quam si libri mercatorum suis*

suis nitantur requisitis, utputa (1) si Mercator sit bonæ fidei & famæ  
 (2) Veritatem scribere consueverit, (3) propria manu scripserit, (4)  
 debiti causam exprefferit, (5) ut liber ille data & accepta contineat, &  
 (6) juramento confirmetur. *Nic. de Passer. d. loco per tot. Gail. 2. Obs.*  
*20. num. 2. & seqq. Marta Neap. in ffris novis. cap. 9. vol. 1. rubr. liber.*  
*Trentacinguius. 2. Resol. 7. per tot. tit. de Probat. Grev. 2. concl. 20. per tot.*  
*Beust. in l. admonendi. ff. de Jurejur. num. 1020. & seqq. Nec hæc consue-*  
*tudo libris Mercatorum plenam fidem tribuens, & pro instrumento*  
*publico, vel pro sententia eos habens ratione destituitur: nam Reipubl.*  
*interest, ut Mercatura exerceatur, hoc autem absque Mercatoribus, qui-*  
*bis orbis carere non potest, teste Lathero tr. de Censu lib. 3. cap. 12. num.*  
*34. & 54. commodè fieri non potest. Hinc ut commercia vigeant, con-*  
*suetudine introductum, ut etiam libri Mercatorum probent, vid. Ni-*  
*col. de Passerib. d. loco num. 14. Deinde contrahentes mercatoribus con-*  
*cedendo nomina eorum libris inscribi, quasi tacitè hoc mandare in-*  
*telliguntur, Fachin. controvers. juris lib. 11. cap. 89. Sigism. Scaccia tr. de*  
*Judic. caus. civil. lib. 2. cap. 11. num. 129. & 130. Plures rationes tradunt,*  
*casque latius exornant Ddres modò laudati quibus jungi potest Nic. de*  
*Passer. d. tr. lib. 4. tit. An liber Mercator. pro tertio contra tertium faciat*  
*fidem. num. 34. pag. m. 808. Ubi autem statuto non cautum vel consue-*  
*tudine non receptum est, ut libri Mercatorum plenè probent, quæ-*  
*nam tunc illis fides tribuatur, docent Nicol. de Passerib. d. loco. tit. An*  
*liber rationum mercatoris pro scribente regulariter fidem faciat. pag. m.*  
*790. Parlador. lib. 1. rerum. quotid. cap. 18. per tot. Hartm. Pist. Obs 86. per tot.*  
*Pacian. de Probat. lib. 1. cap. 63. Caspar. Klock de Contribut. cap. 20. num.*  
*417. & seqq. Sichard. in l. 3. C. si cert. pet. num. 33. & seqq. Trentacing. locò*  
*superius citato. Carpzov. Responso 58. lib. 3. Surd. decis. 199. Tantum de*  
*libris mercatorum.*

#### Thesis II.

Nunc & de libris sociorum agere ordinis ratio suadet. Illos au-  
 tem inter ipsos socios liquidum inducere, & tam pro, quam contra  
 illos probare attestantur *Cephalus consil. 678. num. 14 Trentacing. 2. Re-*  
*sol. 7. num. 21. Rubr. de Probat. Alexand. conf. 186. num. 1 lib. 2. Hecl. Felicius*  
*de Societ. c. 38. n. 14. Nic. de Passer. tr. de privata Script. lib. 4. rubr. de Fide &*  
*Probatione libri rationis Societatis. Scacc. lib. 2. de Judic. causar. civ. cap. 11.*  
*num. 181. & seqq. Cæterum, ut libris sociorum plenè credatur, re-*  
qui-

quiritur ut scripti sint ab ipsis sociis, vel Institore communi, vel alio mandatum habente, contineantq; data, & accepta, *Trentac. Nic. de Passer. & Scacc. locis jam allegatis. Hecl. Felic. d. loc. n. 17. & seqq.* Facie & mentionem laudatus *Nic. de Passer. l. 3. d. loco. Epistolarum, & variarum literarum, utpote credentiarum, amatoriarum, Apostolicarum &c. nec non lib. 4. d. tr. variorum librorum, per quos quomodo liquidatio fieri possit, ipse optime edisserit. Varia insuper librorum genera exhibet Wehner. in Obs. Pract. lit. B. voce: Buch. a num. 1. ad num. 24. quæ omnia prosequi, almæ Facultatis Statutum obstat.*

#### Thesis 12.

Restat ut & de literis Cambii, nec non de Privata scriptura & Chirographo pauca subjiciamus. De illis tractatum scripsere *Frater Fabian. Genuens. Frater Hieron. de Luca Cajetanus, Thomas de Vio. Arismin. Tepatus. lib. 2. var. sent. jur. tit. de Litt. Camb. Borgnin Cavalean. p. 2. decis. 2. num. 25. & seqq. Bertachin. in Repertorio. voce: Cambium. Joh. Baptistæ Cavatius, & novissime Johan. Martin. Voigt.* Omnibus autem liquet, literas cambii postquam acceptatæ sunt, & dies solutioni destinatus advenit, habere paratam executionem, vide præter *Ddres* modo citatos Statuta *Hamb. p. 2. 1. 2. art. 5. Scaccia tr. de Commerc. & Camb. §. 7. glossa 4. num. 1. & §. 7. gl. 5. num. 1. & seqq. Camillus Borell parte 2. decis. tit. 23. num. 130. Nic. de Passer d. tr. lib. 3. Rubr. an literæ cambii jure communi habeant paratam executionem. pag. m. 507. num. 5.* Sed utrum hanc paratam executionem illis det Jus commune, vel consuetudo, vel jus municipale, examinant *Scacc. d. tr. §. 7. gl. 5. & Nic. de Passer. d. loco. & Cavatius de Camb. col. 1. in fin. cap. de literis. pag. m. 225.* Quod autem exceptio compensationis, præter alias, contra literas cambii opponi possint, vid. *Carpz. Resp. 102. lib. 2. Nic. de Passer. d. loco. num. 3. Scacc. d. tr. §. 7. gl. 5. num. 8. num. 16. & seqq. & num. 122. & seqq.* quod & à sententia pro cambiis lata appellari possit, tradit *Johan. Martin. Voigt tr. de Cambio. th. 9. lit. B.* adde insuper *Nicol. de Passerib. d. loco num. 4. & 5. & Scacc. d. tr. de Commerc. & Cambio §. 8. gl. un. n. 1. & seqq.* Singulariter autem notandum, quod si mercator, ad quem literæ cambii fuerint directæ, illas acceptaverit, nec postea solverit, ipsum, qui eas præsentavit, ad ipsum, qui literas scripserat, regredi posse, *Borell. parte 2. decis. tit. 23. num. 110.* maxime si præsentans cambii literas desuper protestatus fuerit. Plures quæstiones cambium respicientes, similiter quæ ad firmitatem literarum cambii requirantur, suppeditabunt

Doctores

*Doctores adducti*, quibus addi potest *Aloys. Rice. parte 1. collect. 40.* Quomodo autem per scripturam privatam & Chirographum liquidatio fieri possit, ex professo tradit *Petr. Frid. Mindan de Processib. extrah. lib. 2. cap. 70. per. 108.*

Theſis 13.

Postquam vidimus, quomodo liquidatio fiat, enodabimus, quando, & intra quantum tempus illa sit facienda. De priori Membro videri potest *Andr. Gail. 1. Obs. 68. num. 4. 5. & seqq.* adde *Dres th. 1. citatos.* In primis autem videatur *Galles. d. 17. p. 3. rubr. quinq. potissimum. num. 6. & seqq.* ubi asserit, quod ante executionem liquidatio sit formanda, & licet quis executionem, facta nondum liquidatione à iudice petere possit, tamen iudicem illam nisi liquidatio præcesserit, concedere non debere, hætenus *Galles. d. loco,* ubi hoc latius exornat. Cæterum tempus quod concernit, sciendum est, quod licet ad officium iudicis pertineat, incerta liquidare, *Quetta consil. 89. num. 9.* certum tamen tempus, intra quod liquidatio fiat, in iure determinatum non est, teste *Baldo in l. 2. C. de Execut. rei jud. col. 2. vers. modò quære.* Ideoq; iudicis arbitrio, quem terminum præfigere velit, relinquendum, argum. *l. 1. §. fin. ff. de jur. delib. quò & inclinat. Menoch. d. A. 3. Q. casu 14. num. 4.* Junge *Post. decis. 92. num. 6.* Speciosa autem hic se offert quæstio, An nimirum ad intra certum tempus ineundam seu instituendam liquidationem peremptoriè citatus, post terminum admitti & audiri possit? Hæc quæstio pro negativa lucem accipit ex illis, quæ tradit *Barthol. Bla. ver. ad l. Diffamari C. de Ingen. man. cap. 10. num. 1. & seqq.* adde *Galles. loco jam allegato num. 9.* Ob æquitatem tamen, & causæ iustitiam, quam citatus foverat, Nobilissimam Facultatem Juridicam hujus loci pro affirmativa respondisse ex Amplissimo Dno. Præside audivi. Porrò quæri posset, An super liquidatione ferenda sit interlocutoria, quam quæstionem adhibita distinctione resolvit *Anton. Massa Galles. ad Formul. cam. obligat. parte 3. incip. quinq. potissimum. num. 13.* Similiter utrum contrahentes convenire possint, quod liquidatione non facta ad executionem procedi possit, affirmative quidem decidit *Bartol. in l. creditores. quest. 3. vers. sed an possit. C. de Pignor.* Verùm quomodo hoc intelligendum, docet *Galles. d. loco. num. 10. 11. & seqq.* adde *Borell. p. 2. decis. tit. 29. num. 5.* Et hæc de tempore dixisse sufficiant.



## Thesis 14.

Cujus autem sumptibus liquidatio facienda, sub distinctionis fædere tradit *Cephalus conf. 296. num. 51. & 52.* citans ibidem *Dec. in cap. bonæ X. de Appellat. num. 7.* *Guid. Papam quæst. 351. prope fin. Jal. in l. Prætor. §. etiam is. ff. de Edendo notab. ult.* Aut enim solius Actoris interest, liquidationem institui, & eam suis sumptibus facere tenetur: Aut Reiduntaxat interest, & eam propriis sumptibus peragere obstrictus est: Aut juxta Actoris ac Rei interest, & communibus sumptibus eam faciendam dicit *Cephal. d. loco.*

## Thesis 15.

Tandem ut omnia, quæ *th. 2.* in medium proferre promissi, absolvam, etiam de effectu quædam subjungenda sunt, qui est, quod in liquidis executivè procedatur. Sic debitum confessione adversarii liquidum, executioni mandare judicem debere, nemo ambigit. In confessum enim nullæ sunt aliæ judicis partes, quàm condemnatio, *l. 25. §. fin. ff. ad Leg. Aquil.* seu uti *Ddres in d. l. 25.* loqui amant: Præceptum de solvendo, junge *l. 1. ff. de Confess. & l. un. C. eod.* ubi confessi in jure pro judicatis habentur. Fulius hæc prosequitur *Roderic. Suarez in l. post rem judicatam. ff. de Re jud. notab. 3. per tot.* Parili ratione, res per sententiam liquida executioni danda traditur *t. t. C. de execut. rei jud. & l. post rem judicatam. ibiq. Suarez. notab. 1. ff. de Re Jud. & notab. 8. incipit: Est alius casus,* ubi idem de Arbitratoris sententia extendit. Ad eundem modum rem juramento liquidam executioni dandam innuit *d. l. post rem judicatam. §. 6. & ibi Svarez. notab. 2. ff. de Re judicata.* Insuper quod per acta publica liquidum apparet, executioni tradi longâ serie exponit *Mindan. de Process. extrab. lib. 2. cap. 66.* Similiter illud, quod matriculâ, & Regesto imperii, Regni, Reip. & Ecclesiæ liquidum est, exequi deberi adstruit *Mindan. d. 11. lib. 2. cap. 67.* Testamentum etiam gaudere executionis privilegio, abunde liquet ex *l. fin. C. de Edicto Div. Hadr. toll.* Junge *Ddres th. 7. citatos.* An autem testamento nuncupativo, testamento inter liberos, nec non Codicillis remedium paratæ executionis competat, & an illud ad quamcunque ultimã voluntatẽ extendi possit, latè & nervosè tractat, & affirmativæ subscribit *Mench. de Adipiscenda poss. Rem. 4.* cui calculum addit *Brunneman. in commentar. ad Cod. de Edicto Div. Hadr. tollendo per tot* Utrum etiam Legatarii & Fideicommissarii pro consequendis legatis ex testamento paratam executionem habeant, mirè inter

ter

ter Ddres contenditur, *vid. Menoch, d. loco num. 644.* ubi negativam acriter propugnat. Nos tamen affirmativam defendemus, quam comprobant *Sichard. ad l. fin. §. 12. C. de Edicto Div. Hadriani toll. Suarez. in l. post rem judicatam. notab. 3. incipit. Sextus casus est. ff. de Re Jud. Mynsing. cent. 5. Obs. 61. Carpzov. in Jurisp. For. p. 3. const. 13. defm. 35.* ubi plures adducit, & nostram sententiam præjudicio confirmat. Nec moror rationes *Menochii*, quibus in conflictu satis faciam. Interim ut ad diviticulum redeam, nemo negabit, Instrumentum publicum etiam executionem paratam habere, *Ddres. commun. passim Colerus de Process. execut. adde Ddres θ. 6. adductos.* Verum non inelegans hic suboritur quæstio, an Instrumento deperdito, ejusque tenore per testes probato Judex executive procedere possit? quam quæstionem *Bartol. in l. 1. §. & hereditatis. num. 2. in fine. ff. de his quæ in testam. del.* negativè decidit. Certo tamen respectu affirmativam sequitur *Suarez. in d. l. post rem judicatam. ff. de Re Jud. in declarat. legis Regni limit. 3.* ubi *Bartolum* cum *Angelo* concordat, adde eundem *Suarezium in d. l. per tot.* plurimas concinnas & scitatas quæstiones instrumenta respicientes proponentem, & subtiliter solventem. Utrum autem executio peti possit etiam pro his, quæ instrumento non quidem expressa, nec corporeis oculis in illo leguntur, sed ex juris dispositione intellectualiter intelliguntur, & ex instrumenti sententia colliguntur? quæ quæstio cum ex professo inveniatur in *addit. ad Bartol. in l. 1. ff. de his quæ in testam. delentur. num. 3. lit. G Fulv. Pacian. de Probat. lib. 1. cap. 26. num. 65. ubi hoc more suo latius exornat. Galles. ad formul. cam. Obligat. p. 2. quæst. ad quartam partem. quæst. 1. num. 8. 9. & seqq. & parte 3. rubr. de Vi instrumentor. incipit. Secunda consideratio. num. 8. & seqq.* huc transcribere supervacaneum duxi. Interim missis his sciendum, etiam debitum per libros mercatorum liquidum executioni mandandum, si scilicet libri mercatorum de consuetudine vel ex statuto habeantur pro sententia, vel instrumento publico, *Gratian. decis. March. 203 per tot. relatus Nicol. de Passerib. de Privata Scriptura lib. 4. rubr. de Libr. Mercator. num. 110. & 111.* Nec non literas Cambii executioni dandas intrepidè adstruunt, *Ddres θ. 11. laudati.* quibus ad stipulatur *Camill. Borellus parte 2. decis. tit. 23. num. 130.* Quomodo tandem Scriptura privata & Chirographum executioni danda,

& quid ad hoc requiratur, abundè exponit *Mindan. de Processib. extrah. lib. 2. cap. 70.*

Thesis 16.

Absolutis illis, quæ *th. 2.* sub *num. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.* exponere pollicitus, residuum esset, quæstiones affines, quarum *th. 2.* mentionem feci, in medium provehere. Verùm cum *th. 5. in fine* posuerim, inter modos inducendi *liquidum* qualem qualem constitui differentiam, illam priùs proponere animus est.

Thesis 17.

Consistit autem dicta differentia in sequentibus. Quamvis enim modi supra *th. 5.* relati, ad unum omnes concurrentibus requiritis, de quibus passim egi, *liquidum* inducant, tamen non semper remedium paratæ executionis locum invenit. v. g. dictum est *th. 14.* Debitum per confessionem vel Juramentum *liquidum* executioni dandum; Verùm hoc intelligendum, quando confessio fuit facta ad instantiam partis nullo dato libello, nec factâ litis contestatione. Idem dicendum de Juramento, v. *Suarez. in d. l. notab. 2. num. 6. & notab. 3. per tot.* Nam si porrigitur libellus, & litem quis contestari aver, necesse est, ut Processum ordinarium instituat, in quo tunc post præstitum juramentum necessaria est sententia condemnatoria, & quod illa in rem judicatam transiverit, alias locus paratæ executioni nondum est relictus, *Galles. d. tr. p. 3. q. 2. num. 5.* adde *Borellum p. 2. decis. tit. 19. num. 40.* Sic testes quidem *liquidum* inducunt, non tamen statim executivè proceditur, *Coler. de Process. Execut. p. 3. cap. 1. num. 13. ad num. 34.* nec moramur *Dn. Gail. 2. Obs. 44. num. 6.* qui quomodo intelligendus docet *Coler. d. loco num. 18. & seqq.* Singulariter autem advertant Advocati, si instrumento, vel alio quopiam paratam executionem habente sint instructi, ne in imploratione pro Executione urantur verbo: *Condemnari*, siquidem per hoc perditur privil. executivum, sed petant à Judice, ut Instrumentum executioni mandet servando viam executivam, *post Angel. & Bald. Suarez in d. l. post rem judicatam. 56. in declarat. legis regni. incipit. Finaliter advertas.*

Thesis 18.

Nunc demum quæstiones materiæ liquidationis affines subjungam. Et (1) quæritur, An simpliciter verum sit, quod *liquidum cum illiquido* non possit compensari? Resp. Si illiquidum brevi, & in continenti

nenti possit liquidari, quod tunc compensationem cum illiquido ad-  
 mittat, *Fabius de Anna cons. 62. num. 5. Cavalcan. de Tutore & Curatore.*  
*num. 215. Munnoz de Escob. de Ratiocin. Admin. cap. 21. num. 6. Ratio*  
*est, quod celeritas probationis rem faciat liquidam, Zanger. de Except.*  
*parte 3. cap. 8. num. 95. & num. 190. Hahn in Obs. ad Wesenb. ff. de Com-*  
*pensat. num. 7. circa fin. adde Borell. parte 2. decis. tit. 19. num. 22. Et quod*  
*paria sint, liquidum esse, & in continenti liquidari posse, Anton. Capyc.*  
*decis. 48. num. 2. Ant. Faber in C. lib. 4. tit. 23. defn. 2. num. 3. Caval-*  
*can. d. loco. Carpzov. parte 1. const. 8. defn. 11. num. 3. Hinc (2) quæritur,*  
*quid in continenti fieri dicatur? Et quanquam Cavalcan. d. loco statu-*  
*at, quod illud in continenti fieri in hac materia dicatur, quod eadem*  
*instantia fieri potest, rectius tamen sentire videntur, qui cum Rosen-*  
*thal de Feudis cap. 10. conclus. 43. num. 130. & Menoch. de Arbitr. Jud.*  
*quest. casu 14. Judicis arbitrio hoc committunt. Si igitur intra termi-*  
*num ab illo statutum liquidatio consummatur, in continenti facta res-*  
*ctè dicitur, Rosenthal d. loco. Aliam cautelam & quidem bonam, &*  
*(ceu Autor loquiamar.) singularem, illiquidum cum liquido compen-*  
*sandi tradit Capolla cantelâ § 3. quam & calculo suo comprobatur Alexander*  
*Trentacing. lib. 3. Resol. 1. tit. de Compensat. num. 22. Quæritur (3)*  
*An factâ liquidatione accepti (vulgò die Einnahme) possit pro accep-*  
*pris fieri executio, antequam ratio dati (die Ausgabe) dispungatur &*  
*liquidetur? Hanc quæstionem tersè & nervosè in utramq; partem*  
*ventilat, & tandem, negativam amplexatur, cum hoc tamen tempe-*  
*ramento, nisi petens executionem producat instrumentum publicum,*  
*vel guarentigiatum, quo casu non obstante ratione dati pro acceptis*  
*executionem fieri posse, Munnoz de Escobar de Ratiocin. Admin. cap. 21. à*  
*num. 1. ad num. 23. adde Cavalcan. de Tutore & Curatore. num. 214. Por-*  
*ro dixi th. 1. quod executio in illiquidis fieri non possit, hinc (4) quæri-*  
*tur, An omne illiquidum executionem averferur? Resp. Si illiquidum,*  
*quod executioni peto tradi, contineat jus universale, tunc executio-*  
*nem non respuere, secus si particulare, Myns. 2. Obs. 6. Quæritur (5) An*  
*con fessio illiquidum & incertum continens executioni possit mandari?*  
*Vid. Suarez. in d. l. notab. 3. num. 13. Præterea th. 1. affirmavi, quod in*  
*illiquidis mora non contrahatur, hinc (7) quæritur, quid faciendum,*  
*si debitum partim sit liquidum, partim illiquidum? Resp. Posse de-*  
*bito rem liquidum realiter offerre & deponere, & si debitor sit inops,*  
 vel

vel de fuga suspectus, se illiquidum dato fidejussore soluturum promittere, factâ prius liquidatione, erit securus à mora, expensis, pœnâ, damno, & interesse, *Pyrrhus Maur. Aretin. de Fidejussor. parte 1. sect. 3. in prælud. cap. 6. aliàs 15. per tot. Cæpolla caut. 27. Socin. Senens. conf. 80. num. 3. in fine. lib. 3. Negulant. de Pignor. secunda parte tertii membri quinta partiâ principalis num. 4. Rebuff. in comment. ad const. reg. rubr. de Literis obligator. glossa 9. art. 1. num. 12. Hagen de Usuris cap. 11. num. 206. & seqq. Borell. parte 2. decis. tit. 19. num. 4. Et ita in foro observari præjudicio confirmat Rebuff. d. loco num. 13. & 14. Quæritur (8) An instrumentum habeat paratam executionem, si in illo deficiat verbum, Promitto? Vide *Suarez in d. l. in declaratione legis regni extensione 2. num. 1. Quæritur (9) An jus executivum possit diebus feriatis exerceri? Sub distinctione responderet, & de feriis in honorem DEI institutis negat, ac de reliquis affirmat Suarez d. loco extensione 4. Quæritur (10) quomodo melioramenta liquidentur? Resp. non posse liquidari melioramenta, nisi prius verificato, qualis fuerit antiquus rei status, Seraph. Olivar. Razzal. decis. 952. num. 3. Quæritur (11) quomodo & quando fructus liquidentur? Vide *Verallum decis. 27. & decis. 30. Jacob Put. decis. 418. lib. 3. Seraph. Olivar. Razzal. decis. 955. num. 3. & decis. 1397. num. 1. 2 & 3. & decis. 1245. Post. tr. de Possessor. Summar. Obs. 107. num. 52. Junge Nattam conf. 510. num. 1. tom. 3. ubi num. 4. distinguit inter fructus perceptos & percipiendos. & num. fin. Judicis arbitrio hoc committit, cui subscribit Razzal. decis. 1399. adde *Bald. conf. 328. num. pen. & ultim. lib. 2. Dixi supra Instrumentum illiquidum executioni non subjacere, hinc (12) quæritur, utrum ejusmodi instrumentum non mereatur executionem favore dotis? Affirmat *Baldus in l. 1. C. de Proc. quod tamen intelligendum est, factâ prius matrimonii probatione, Camillus Borell. parte 2. decis. tit. 19. num. 38. Hinc si quis dotem simpliciter promissit, executabitur boni viri arbitratu, Suarez d. loco in declarat. legis regni limit. 4. num. 8. Quæritur (13) an si quis initio ordinarie egit, postmodum mutare & executive agere possit. Negant *Lancellott. de Attemptatus parte 2. lim. 3. cap. 4. num. 80. Martin. Monter. in decis. Arragon. 22. Garcias Mastrill. in decis. Sicilie 157. num. 1. & alii citati à Camillo Borello parte 2. decis. tit. 19. num. 28. Quæritur (14) an à sententia super liquidis lata appellare liceat? Simpliciter hoc negare videtur *Hilliger. ad Donell. parte 2. lib. 28. cap. 6. lit. li. Caspar Klock autem in Votis cameral. Relat. 2. 2. num. 3.*******

num. 3. hoc juxta Privilegium Holsaticum verum esse asseverat. Cui ad stipulatur *Mindan. de Process. extrah. lib. 2. cap. 70. num. 11.* addens ita etiam Lubecæ & Francofurti observari. Quæritur (15) An debitor obligatus sine instrumento, teneatur ad creditoris instantiam illi dare instrumentum, quod paratam executionem habet? Negat *Suarez in d.l. post rem judicatam. ff. de Re Jud. in declarat. legis regni quæst. penult.* Quæritur (16) quomodo damna & interesse liquidentur? Vide *Scacc. de Commerç. §. 1. quæst. 7. parte 2. ampl. 8. num. 240. & seqq.* Suarez, *d. loco. in declarat. legis regni limitat. 4. num. 6. & 7.* Quæritur (17) utrum ab executione instrumenti guarentigii, vel à pronunciatione de exequendo appellari possit? Respondetur, quod quantum executionem instrumenti guarentigii concernit, ab ea quoad effectum suspensivum appellari non posse, *Anton. Massa Galles d. tr. p. 3. quæst. fin. num. 7. & seqq.* ubi pluribus hoc exornat. Quantum vero pronunciationem de exequendo attinet, regulariter ab ipsa appellatio non admittitur, *vide Dd. apud Alexandr. Trentacinq. 2. Resol. 12. num. 2. vers. secunda est.* quod tamen intelligendum est, si ante Decretum de exequendo fuit prolata sententia, quæ in rem judicatam transivit. Nam si nulla sententia, cujus executio petitur, præcessit, appellationem non denegandam, vel rejiciendam *Dires* decidunt. Secundo locus appellationi relinquitur, quando per pronunciam de exequendo novum inferitur gravamen. Tertio à Decreto de Exequendo appellari potest, quando illud fieret intra tempus, quo liberum est a sententia, cujus executio petitur, provocare. Quarto appellare licet, si modus in executione excedatur. Et tandem quinto tertius interveniens & de interesse suo docens appellando à decreto de exequendo, auditur, *Alexand. Trent. d. loco. num. 2. 3. 4. ad fin.* Plura de hac quæstione qui scire aver, adeat *Vasquium lib. 2. controver. illustr. cap. 38. num. 6. & 7. tom. 2. Galles. d. tr. pag. m. 329. num. 18. ad fin. libr. 3. Parlador. lib. 2. rerum quotidian. cap. fin. parte 2. §. 3. & parte 5. §. 15. Mynl. 3. Obs. 32. Gail. de Arest. imper. cap. 11. num. 20. Petrus Gregor. tr. de Appellat. lib. 2. cap. 11. per tot. Suarez. d. loco in declarat. legis regni. incipit: Quæro utrum possit. Meischner. decis. 28. num. 6. tom. 1. lib. 2. Scipio Gentilis de Jurud. cap. 31. Escobar. de Ratiocin. cap. 33. num. 14. Anton Faber in C. de Appellat. defn. 28. Et hæc pro instituti nostriratione, nec non ingenio mei imbecilli.*

becillitate sufficiant. Spero autem, neminem fore, qui, si alicubi  
impegerim, vel quæstiones propositas ad amissim non examinave-  
rim, sed remissivè tractaverim, vicio esse daturum, siquidem prius ex-  
cusationem habeat in *l. 2. §. 14. C. de Vet. jur. enucl.* Posterius  
Almæ Facultatis statutum impedivit, & hanc disserta-  
tionem coarctari jussit.

## Interim Deo Immortali Immortales gratias.










num. 3. hoc juxta Privilegium Holfaticum ver  
aestipulatur *Mindan. de Proceß. extrah. lib. 2. cap.*  
etiam Lubecæ & Francofurti observari. Quæri  
ligatus sine instrumento, teneatur ad creditoris  
strumentum, quod paratam executionem habe  
post rem judicatam. ff. de Re Jud. in declarat. l.  
Quæritur (16) quomodo damna & interesse liqu  
Commerc. §. 1. quæst. 7. parte 2. ampl. §. num. 240.  
in declarat. legis regni limitat. 4. num. 6. & 7.  
executione instrumenti guarentigii, vel à promi  
do appellari possit? Responderetur, quod qua  
strumenti guarentigii concernit, ab ea quoad  
appellari non posse, *Anton. Massa Galles d. 11. p.*  
*seqq.* ubi pluribus hoc exornat. Quantum vero  
exequendo attinet, regulariter ab ipsa appellat  
*Dd. apud Alexandr. Frentacinq. 2. Resol. 12. num.*  
tamen intelligendum est, si ante Decretum de  
sententia, quæ in rem judicatam transivit.  
cujus executio petitur, præcessit, appellatio  
vel rejiciendam *Dres* decidunt. Secundo loc  
tur, quando per pronunciam de exequendo  
men. Tertio à Decreto de Exequendo appel  
fieret intra tempus, quo liberum est a senten  
tur, provocare. Quarto appellare licet, si re  
cedatur. Et tandem quinto tertius interver  
docens appellando à decreto de exequendo,  
*d. loco. num. 2. 3. 4. ad fin.* Plura de hac quæstio  
*Vasquium lib. 2. controver. Illustr. cap. 38. num.*  
*d. 11. pag. m. 329. num. 18. ad fin. libr. 3. Parlado*  
*cap. fin. parte 2. §. 3. & parte 5. §. 15. Mynl. 3. O*  
*per. cap. 11. num. 20. Petrus Gregor. 17. de 4*  
*tot. Suarez. d. loco in declarat. legis regni. in*  
*Meischner. decis. 28. num. 6. tom. 1. lib. 1. Scipi*  
*31. Escobar. de Ratiocin. cap. 33. num. 14. Anto*  
*defin. 28. Et hæc pro instituti nostriratione*



at. Cui  
dens ita  
tor ob  
dare in  
in d.l.  
penult.  
Scacc. de  
e, d. loco.  
rum ab  
xequen  
nem in  
sivum  
um. 7. &  
nem de  
tur, vide  
st. quod  
et prolata  
tentia,  
andam  
relinqui  
ar grava  
ndo illud  
otio peti  
tione ex  
resse suo  
nd. Trent.  
er, adeat  
2. Galles.  
quotidian.  
Arest. im  
cap. 11. per  
rum possit.  
urid. cap.  
e Appellat.  
oli mei im  
becilli-